

rator 11, cap. *Nunquam* 12, et cap. *Constantinus* 15, dist. 96, cum similibus.

(45. Sacerdotalis potestas cum regia semper rexerunt genus humanum, et si istæ duæ non conveniunt, male regitur. Concil. *Coloniensis*. II, p. II, cap. 2, cap. *Duo sunt dist.*, cum similibus.

(46. Sacerdotes exercere nequeunt procuratoris officium. Martin. V constitution. 3 incip. *In Apostolica*.

(47. Sacerdos abjurans de levi, non est impeditus exercere omnes ordines et sacramenta ministrare, ac fidelium etiam sæcularium confessiones audire, secus in abjurante de vehementi. Sac. congregat. generalis, in *Inquisitione* 6 Martii 1596.

(48. Sacerdos curam animarum gerens, si diebus Dominicis et aliis solemnitatibus non celebret, prius est monendus, postea procedendum per subtractionem fructuum, demum excommunicandus, si non est legitime impeditus, et tunc per alium celebrare debet. Sac. congreg. Concilii, die 21 Augusti 1690.

(49. Sacerdos delinquens in sua diœcesi, si in alio loco reperitur, ad suum ordinarium remitti debet. Sacra congreg. Concilii, apud Sellium, in *Selectis canonicis*, cap. 2, n. 21; et apud Barbos., in *Summa Apostolicarum decisionum*, verb. *Sacerdos*, num. 6.

(50. Sacerdotes exteri sæculares celebrantes absque licentia ordinarii in ecclesiis regularium incurrunt penas inflictas in synodo diœcesana. Sac. congreg. Concilii, in *Neapolitana* 17 Aug. 1630.

(51. Et sacristæ seu præfecti Ecclesiarum regularium astringi possunt ad non permitendam celebrationem prædictam, nisi exhibita licentia ordinarii. Sac. congreg. Concilii, in *eadem Neapolitana* 17 Aug. 1630.

(52. Sacerdotes deferre non debent manutergium super calicem eundo vel redeundo ab altari. Sacra congreg. Rit. 1 Septembris 1703. Quod est etiam contra Rubricas generales Missalis, ex Comment. Gavanti. in eadem Rubricas, part. I, tit. 10.

(53. In missa solemnibus, dum canitur *Credo*, non debent pulsari organa, nec sacerdos celebrans potest prosequi missam. Sac. Rit. congreg. 17 Dec. 1695. Vide *Decreta S. R. C.*, n. 664.

(54. Sacerdos prius ordinatus præferendus est presbytero postea ordinato, licet capellaniam possessionem prius acceperit, qui postea ordinatus est. Sacra congreg. Rit., in *Novarien.* 16 Junii 1606, in *Lycien.* 19 Jan. 1613.

(55. Sacerdos assistens, licet non sit prima dignitas, thurificandus est ante archidiaconum assistentem episcopo a dextris, licet archidiaconus sit prima dignitas. Sac. congreg. Rit., in *Vercellen.* 23 Junii 1667.

(56. Sacerdos simplex sine licentia Sedis Apostolicæ non potest benedicere novam ecclesiam, vel oratorium, nec reconciliare ecclesiam pollutam. Sacra congreg. Rituum, in *Placentina* 19 Maii 1607, in responsione ad dubium 10.

(57. Sacerdos celebrans solemniter coram

episcopo, debet cum suis ministris expectare benedictionem episcopi, antequam descendat. Sac. congreg. Rit., in *Alexandr.* 19 Maii 1608, in respons. ad 7 dub.

(58. Sacerdos, diaconus et subdiaconus solemniter celebrantes possunt et debent sedere in banco, dum canitur *Gloria* et *Credo*, etiamsi sint beneficiati vel capellani, prout sedent canonici, non obstante qualibet consuetudine. Sac. congreg. Rit., in *Perusina* 15 Jan. 1611.

(59. Sacerdotes et clericos ascriptos Ecclesiis non potest episcopus ob necessitatem Ecclesiæ cogere, ne discedant ab ea, causa studii: imo tenetur illis dimissorias seu commendatitias litteras dare. Sacra congreg. Concilii, die 11 Maii 1617.

(60. Sacerdotes nullum officium aut beneficium ecclesiasticum obtinentes, cogi non possunt ab episcopo ad publicas processiones accedere. Sacra congreg. Concilii, in *Messanen.* 7 Februarii 1632.

(61. Sacerdotes tenentur scire decreta Sedis Apostolicæ. Siricius Papa, epist. 1, cap. ultim. (62. Item tenentur scire canones. Cælestin. I, epist. 3, cap. 1, cap. *Nullus* 4, dist. 38, cum similibus.

(63. Sacerdotes tenentur litteris vacare et fugere ignorantiam. Concilii *Arelaten.* IV, cap. 3, cap. *Ignorantia* 1, dist. 37. (64. Sacerdos enim ignorans non excusatur. Cap. *Si in laicis* 3, dist. 38.

(65. Sacerdotes non possunt uti vestibus pomposis, variatis, etc. vel ab ordine alienis. Concilii *Nican.* II, cap. 16, cap. *Omnis jactantia* 1, caus. 21, q. 1, cum similibus.

(66. Sacerdotes extra domum non debent comparere sine veste sacerdotali. Cap. *Sine ornatu* 4, caus. 21, q. 1, qu. 4, cum similibus.

(67. Sacerdos contrahens matrimonium de facto incurrit excommunicationem. Facta penitentia, ab episcopo dispensatur, ut ministret, sed matrimonium est nullum textu expresso in cap. *Sine sacerdotibus* 4, De clericis conjugatis. (68. Quibus autem penis puniatur sacerdos seu clericus in sacris constitutus, vel regularis castitatem solemniter professus, matrimonium contrahens; notat Pignatelli, tom. VIII, consult. 63, n. 32, quod ex concilio Neocasariensi relato in cap. *Presbyter* 9, dist. 28, ab ordine deponi debeat, quod glossa explicat de depositione officii, quem admodum et exiit ecclesiasticis beneficiis, cap. *Decernimus* 2, dist. 29, in *Decernimus*, ut hi, qui in ordine subdiaconatus, et supra, uxores duxerint, aut concubinas habuerint, officio, atque ecclesiastico beneficio careant. Vide Pignat., loco citat., cum aliis ibi adductis.

(69. Sacerdotum defunctorum manibus aptari non debet Calix. Clericatus, *De sacrific. missæ*, dec. 50, n. 49; Bassi, tract. *De sodalitatibus*, quæst. 5, n. 14; concil. provinc. *Beneventan.*, 1693, pag. 61, cap. 18, cap. *Nemo* 36, De consecrat. dist. 1; Ursaya, tom. VII, part. II, discept. 31, cap. 23, *De funerib.*

cum Ritual. Roman. Cæremonial. Episcop. et Act. Eccles. Mediolanen. ibi citatis. Vide ibi in fine, ubi a sac. congreg. approbatur synodus Fulginatensis, ubi inter alia fuerat id statutum.

(70. Sacerdotes sæculares nequeunt prætere candelam majorem illa, quæ datur regularibus associantibus funus. Sic expresse defendit Ursaya, tom. I, pag. 2, discept. 15, n. 13, ubi ad id plura adducit decreta et doctores, et decrevit in fortioribus terminis de parochia respectu superioris regularis sacra congreg. Concilii, in *Novarien.* 15 Martii 1704; apud Monacell., tom. II, tit. 13, formul. 1, sub. n. 92; apud *Thesaurum Resolutionum sac. congreg. Concilii*, tom. IX, fol. 25, in d. *Novarien.*, Funerum et jurisdictionis, in respons. ad 4. Vide verb. *PAROCHUS*, art. 3 circa finem.

(71. Episcopus statuere potest, ne sacerdotes recipiant quid minus elemosyna taxata. Sacra congreg. Concilii, in *S. Severini elemosynæ missarum* 16 Julii 1696, et in *Alexanen.* 27 Januarii 1743.

(72. Institutionem beneficii sacerdotalis deberi presbytero, posthabito clerico, respondit sac. congreg. Concilii, in *Montis Regalis, Capellaniam* 19 Novembr., 1740.

(73. Cum sacerdos non ex reverentia, sed ex negligentia celebrare omittit, tunc (quantum in se est) privat sanctissimam Trinitatem laude et gloria, angelos lætitia, peccatores venia, justos subsidio et gratia, in purgatorio existentes refrigerio, Ecclesiam Christi spirituali beneficio, seipsum medicina et remedio contra quotidiana peccata et infirmitates. S. Bonavent., in opusc. *De preparatione ad missam*, cap. 5, ex Vener. Bedæ, et sequitur Amostaz, *De causis piis*, lib. III, cap. 5, n. 45; Ursaya, tom. V, part. I, discept. 4, n. 142, et alii passim.

(74. Sacerdotes novi testamenti non parentum nobilitate, sed pro vitæ suæ merito sunt eligendi, nec attendendum quos parentes habuerint, sed cujus meriti sint. S. Anselmus, in *Epist. S. Pauli ad Hebræos*, cap. VII. Nobilitas enim morum plus ornatur, quam genitorum. Arg. cap. *Nos qui* 3, dist. 40, cap. *Recurrat* 3, § *His ita*, caus. 32, quæst. 4, et cap. *Venerabilis* 47, De præbend., ubi expresse dicitur: « Non generis, sed virtutum nobilitas, vitæque honestas gratum Deo faciunt, et idoneum servitorem; » in ejus sumario sic præcise habetur: « Clerici ignobiles, et non eminentis scientiæ propter hoc non debent a præbendis repelli, etiam in Ecclesia quæ tales admittere non consuevit. »

(75. Grandis dignitas (11) sacerdotum, sed grandis eorum ruina, si peccant. S. Hieronymus, lib. XVI, in c. XLIV *Ezech.*

(11) Quæ n. hoc, et proximis Lucius noster affert testimonia, ea, nisi me omnia fallant, ex *Polyanthea* aliqua, vel *Silva* ejusmodi locorum accepit. Quare lectores monemus, ut, si forte ipsis uti velint, fontes adeant.

(12) Nullas S. Ambrosii in C. Matthæi Evangelium homilias habemus.

(13) Sive Julianus Pomerius. Vide Admonitionem

(76. Si sacerdos, qui est unctus, peccaverit, faciet delinquere populum. Cap. *Magna* 7, De voto, et *Levit.* c. IV.

(77. Nullum majus præjudicium, quam a sacerdotibus, tolerat Deus. S. Greg., homil. 17, in *Evang.*

(78. Malus sacerdos de sacerdotio suo crimen acquirit, non dignitatem. S. Ambros. (12), homil. 43, in c. XXIII *Matthæi*.

(79. Nulla re Deus magis offenditur, quam quod indigni et peccatores sacerdotii dignitate præfulgeant. S. Joann. Chrysost., homil. 41, in *Matth.*

(80. *Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est. Vos autem recessistis de via et scandalizastis plurimos in lege, irritum fecistis pactum Levi, dicit Dominus exercituum, propter quod et ego dedi vos contemptibiles, et humiles, omnibus populis. Malach. II, 7, 8 et 9.*

(81. Quis aliquando vidit clericum cito poenitentiam agentem? S. Joan. Chrys., homil. 40, in c. XXI *Matth.* Laici delinquentes facile emendantur; clerici si mali fuerint, inemendabiles sunt. Auctor *Oper. imperf.*, hom. 41.

(82. Nulla certe in mundo tam crudelis bestia quam malus sacerdos; nam corrigi non patitur. S. Eusebius, Epist. ad *Damas.*

(83. *Separavi vos a cæteris, ut essetis mei; Levit., XX.* Ut integritas sacerdotis demonstraretur, qui non aliquatenus, sed plane totum se Deo dicaverit. Theodor., quæst. 3 in *Levit.*

(84. Officium quidem sacerdotalis suscipimus, sed opus officii non implemus. S. Gregor., homil. 17, in *Evang.*

(85. Ad stipendia duntaxat oculos habent. S. Isidor. Pelusiota, lib. I, epistol. 142. Non virtutum merita, sed subsidia vitæ præsentis exquirunt. S. Gregor., lib. XXIII *Moral.*, cap. 17. Non ut meliores, sed ut honoratiores sint. S. Prosper (13), lib. 1 *De vit. contempl.*, cap. 21.

(86. Dignitas sacerdotalis prius noscatur a vobis, ut deinde servetur a vobis. S. Ambros. (14), *De dignitat. sacerdot.*, cap. 5.

(87. Prætulit nos Deus angelis et archangelis, prætulit dominationibus. S. Bernard., *Serm. ad Past.* Sacerdotium ipsi quoque angeli venerantur. S. Greg. Nazian., orat. 12, ad *Levit.*

(88. Excusa me apud te, Virgo gloriosa... Sacerdotium ipse prætulit super te... Potestas sacerdotis superat potestatem Virginis gloriosæ. S. Bernardin. Senens., tom. I, serm. 20, art. 1, c. 7.

(89. Beata Virgo solum semel aperuit

in libros de vita contemplativa iisdem libris in Appendice ad Opera S. Prosperi in novis editionibus præmissam.

(14) Nempe incertus auctor libri *De dignitate sacerdotali*, S. Ambrosio olim tributi. Vide admonitionem in eundem libellum in *Append. ad Opera S. Ambrosii*, edit. Ven. 1751, p. 455.



cæsum, sacerdos qualibet missa. S. Vincent. (15) Ferrer., serm. 1, in *Festo corporis Christi*.

(90. Vere veneranda sacerdotum dignitas, in quorum manibus Dei Filius, velut in utero Virginis incarnatur. S. Aug. (16), lib. *De dignitate Eccl. Apol.* 3, tract. *De sacerdot.*

(91. Pater omnifariam potestatem dedit Filio; cæterum video eandem ipsam potestatem a Deo Filio sacerdotibus esse concessam. S. Joan. Chrysost., homil. 5.

(92. Deos etiam ipse Deus appellat; S. Gregor., lib. 4, epist. 9.

(93. Nihil omnino prodest nomen sanctum habere sine moribus, quæ vita a professione discordans abrogat illustris tituli honorem per indignam actuum vilitatem. Salvian., *De provid.*, lib. III ad fin.

(94. Honor sublimis et vita deformis. S. Ambros., lib. *De dignit. sacerdot.* Professio deifica et actio illicita. Idem, *ibid.*

(95. Ornamenta in luto, dignitas in indigno. Salvian., *ad Eccles. cath.*

(96. Non ita corruptis moribus vivunt sæculares, ut ecclesiastici. S. Bernardus, *Serm. in convers. S. Pauli*.

(97. Inique agunt cæteri contra Christum, crudeliorem tamen eam censet persecutionem, quam a propriis sustinet ministris. S. Bernard., *ibid.*

(98. Tales sacerdotes non sunt mei sacerdotes, sed veri proditores, ipsi enim, quasi Judas, me vendunt, et produnt. S. Brigitta, lib. I, *Revelat.*, c. 47.

(99. Adam peccavit in terra, et veniam consecutus est; Lucifer in cælo, et diabolus factus est: sic differunt peccata laicorum et clericorum. Hugo de S. Caro in illud psalmi cxviii, 119: *Prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ*. Sæculares vocantur peccatores terræ, ad differentiam sacerdotum, qui debent vocari peccatores cæli, uti angeli. Unde S. Brigitta, lib. I *Revelat.*, cap. 47. Sacerdotes mali sunt in eodem peccato, quo cecidit Lucifer: nunc etiam dico tibi iudicium eorum, et cui sunt similes.

(100. Si peccas in sacerdotio, periisti. S. Joan. Chrysost., hom. 41, in *Matth.*

(101. Sic enim Deus irascitur peccantibus sacerdotibus, ut etiam sacratis locis, vasisque non parcat. I *Reg.* iv. S. Prosper (17), *De prom. et præd.*, part. II, cap. 24.

(102. Ante omnia sacerdotes castitate debent accingi. S. Joan. Chrys., hom. 4, in *Levit.*

(103. Ut in his niveus pudicitiae candor effloreat, qui sacris mysteriis familiaris appropinquant. S. Petrus Damian., opusc. 18, *contra cler. intem.*, dissert. 1, cap. 1.

(15) Hujus sermones, qui exstant, typisque impressi sunt, non ab ipso litteris mandatos, sed ab aliis ex dicentis ore exceptos, ac in scriptum redactos alibi monemus.

(16) Nullum inter S. Augustini opera aut genuina, aut supposititia, opus hoc titulo occurrit.

(17) Sive incertus auctor libri *De promissionibus et prædicationibus Dei*. Legito admonitionem in hunc

(104. Sacerdos... Ne polluat sanctuarium Domini, quia oleum sanctæ unctionis Dei super eum est. *Levit.* xxi, 12.

(105. Sacerdotes polluerunt sanctuarium meum. *Ezechiel.* xxii, 26, id est, explicat ibi Hugo card. per vitæ immunditiam.

(106. Audent Agni immaculati sacras contingere carnes, et intingere de sanguine Salvatoris carnes nefarias, quibus paulo ante (proh dolor!) carnes meretricis attritaverunt. S. Bernardus, in *Declamat.*

(107. Pudicitia sacerdotalis non solum ab opere se immundo absteineat, sed etiam a jaclu oculi et cogitationis errore mens Christi corpus confectura, sit libera. S. Hieron., in c. *Epist. ad Titum*.

(108. Quis adeo impius erit, qui lutosus manibus sacratissimum sacramentum tractare præsumat? Sanctus Aug., serm. 134 *De tempor.*

(109. Polluimus corpus Christi, quando indigni accedimus ad altare. S. Hieron., in cap. I *Malachie*.

(110. Cum in os immundum sanctissimam carnem ponit, eam quasi in lutum projicit. Petrus Blesensis, serm. 38.

(111. Quantum flagitium in spurcissimam tui corporis cloacam sacratum Christi sanguinem profundere! S. Thomas de Villanova, concion. 3, *De corpor. Christi*.

(112. Gravius peccant indigne offerentes Christum regnantem in cælis, quam qui eum crucifixerunt ambulantem in terris. S. Aug. cit. a Mol., tract. 2, cap. 17.

(113. Auctores mortis existimus, qui esse debemus duces ad vitam. S. Gregor., homil. 17, in *Evang.*

(114. Si sacerdotium corruptum fuerit, omnis fides marcida est. S. Joan. Chrysost., homil. 38, in *Matth.*

(115. Populum videmus nugacem, eo quod tales habeat sacerdotes. S. Ambros., *De dignit. sacerdot.*, c. 5.

(116. Causæ sunt ruinæ populi sacerdotes mali. S. Greg., lib. IV, epist. 64.

(117. Tantum inter sacerdotem, et quemlibet probum interesse debet, quantum inter cælum et terram discriminis est. S. Isid. Pelusiota, lib. II, epist. 107.

(118. Ebrietas in alio crimen est, in sacerdote sacrilegium. S. Petrus Chrysol., serm. 26.

(119. Provide, ne lingua, quæ vocat de cælo Filium Dei, contra ipsum Dominum loquatur. S. Aug. (18), serm. 37, *ad Fratres de erem.*

(120. Inter sæculares nugæ, nugæ sunt, in ore vero sacerdotis blasphemiae. S. Bernard., lib. II, *De considerat.*

(121. *Labia sacerdotis custodient scientiam;* librum in Append. *Operum S. Prosperi* tom. II, edit. Venet., anno 1744, pag. 57 seqq.

(18) Sermones istos ad Fratres in eremo Maurini editores in Appendicem ad tom. VI *Opp. S. doctoris* rejecerunt. Vide admonitionem iisdem sermonibus præfixam, in qua ipsos S. Augustino suppositos fuisse demonstrant.

discamus sacerdotem doctum esse debere. S. Hieron., in c. II *Malachie*.

(122. Manus sacerdotum modo inunctæ sunt pice cupiditatis ad retinendum, quæ deberent esse inunctæ unctione charitatis ad largiendum. Hugo card., in illud *psalm.* xxv: *Dextera eorum repleta est muneribus*.

(123. Si pro se unusquisque in die iudicii vix poterit rationem reddere, quid de sacerdotibus futurum est, a quibus sunt omnium animæ requirendæ? S. Aug., lib. I, homil. 7.

(124. Pro populorum iniquitate damnantur, si eos aut ignorantes non erudiant, aut peccantes non corrigant. Sanctus Isidorus, lib. III *Sententiar.*

(125. Sacerdotes, pensemus negotium nostrum, pensemus pondus, quod suscipimus, faciamus nobiscum quotidie rationes, quas cum iudice nostro habebimus. S. Gregor., homil. 17, in *Evang.*

(126. Vere magna confusio sacerdotum et omnium clericorum, quando laici inveniuntur fidiiores et justiores. S. Joannes Chrysost., hom. 40, *Oper. imperfect.*, aut quis alius ejus auctor.

(127. Quomodo non sit confusio esse illos inferiores laicis, quos etiam esse æquales magna confusio est? Idem, *ibid.*

(128. Erubescant sacerdotes, si sacratiois vitæ inveniantur laici, qui vitæ fluctibus sunt immersi. S. Gregor., part. II, *Pastor.*, admon. 39, et Petrus Blesensis, serm. 12.

(129. In die iudicii sacerdos spoliabitur sacerdotii dignitate, et erit inter infideles. S. Joan. Chrysost., homil. 40, in cap. XXI *Matth.*, juxta illud *Ezechiel.* xxiii: *Denudabunt te vestimentis tuis, tollent vasa gloriæ tuæ, et demittent te nudum ignominia plenum*.

(130. Sacerdotes mali præ omnibus diabolis profundius submergentur in infernum. S. Brigitta, lib. IV *Revelat.*, c. 35.

(131. Quæ majus est auctoritas, eo majus est eorum, qui peccant, supplicium. S. Joann. Chrysost., in *psal.* vi.

(132. Ingrediuntur electi sacerdotum manibus expiati cælestem patriam; et sacerdotes ipsi per vitam reprobam in inferni supplicia festinant. S. Gregor., homil. 17, in *Evang.*

(133. Non temere dico, sed ut affectus sum et sentio: non arbitror inter sacerdotes multos esse, qui salvi fiant, sed multo plures, qui pereant. S. Joan. Chrysost., homil. 3, in cap. I *Act. apostol.*

(134. Clerici et religiosi quando Christo adherent, optimi sunt, et optimum, et multum fructum faciunt; quando autem a Christo separati sunt, nutrimentum sunt ignis peccati in præsentem et in futuro ignis infernalis. Hugo card., in cap. xv *Evang. S. Joan.*

(135. Miror, an fieri possit, ut aliquis ex

(19) Nec monachorum, nec monacharum Regula, olim sub S. Hieronymi nomine vulgata, illi tribui

receptoribus sit salvus. S. Joan. Chrysost., homil. 34, in *Epist. ad Hebræos*.

(136. Sacerdos si vitam suam dispossuerit, tuam autem non diligenter curaverit, cum impiis in gehennam detrudetur. S. Joan. Chrysost., homil. 85, in *Joan.*

(137. Quidam religiosus, qui noluit acceptare episcopatum, neque ad preces sui superioris, apparens post mortem cuidam suo amico et ab ipso interrogatus, an quidquam mali passus fuisset ob talem resistantiam factam superiori ad nolendum episcopatum, respondit: *Minime: imo si episcopatum recepissem, essem aternaliter damnatus*. Sic refert Carthus., *De vita et Reg. episc.*, cap. 42. Et de alio, qui ad consilium sui patris recusavit sibi oblatum episcopatum, refert S. Hieronymus (19), in *Regul. monac.*, cap. 5, et idem Carthus., *loc. cit.*, quod post mortem ipsi suo patruo apparens, eique gratias referens de optimo consilio, dixit: «Nunc essem de numero damnatorum, si fuisset de numero episcoporum.»

(138. Turpe est ignorare artem, quam profitemur, et intolerabilis ignorantia in iis, qui præsent. S. Leo relatus, in cap. *Si in laicis* 3, dist. 38.

(139. Verecundum est ex aliorum manibus quærere, quod apud se inveniri debet. Cap. *Cum in cunctis* 7, *De elect.*, et Gloss., *ibid.*, citans multos alios canones. Unde non sufficit, quod prælatus habeat apud se viros doctos, nisi et ipse sit doctus, vel curet fieri doctus. Caveant super hoc prælati.

(140. Sacerdotes privantur facultate excipiendi confessiones complicum in peccato turpi. Benedict. XIV, tom. I, constitut. 20, incip. *Sacramentum Penitentiae*, § 4. Vide dicta ad verb. CONFESSARIUS, et verb. COMPLEX. (141. Sacerdos etiam ad confessiones non approbatus, præferendus est confessorio complici in peccato turpi pro excipienda confessione ipsius complicis in articulo mortis constituti. Idem, constitut. 120, incip. *Apostolici muneris*, § 2.

(142. Sacerdos simplex benedictionem super populum impertiri nequit, præterquam in fine missæ, nisi forte id ipsi demandetur jure delegato. Idem, tom. II, constitut. 48, incip. *Exemplis*. (143. Præsente episcopo diocæsano sacerdos in fine missæ debet prius ad eum se convertere, eique caput inclinare, veluti facultatem populo benedicendi postulans; quod a sacerdote prætermittitur, si episcopus missæ intersit, sed extra suam diocæsimum existat, prout desumitur ex Rubricis Missalis. T. *De benedictione missæ et evangelio S. Joan.* Idem, *ibid.*

(144. Sacerdos abutens sacrificio missæ ad sortilegia, vel in sacramentali confessione sollicitans ad turpia, præter alias pœnas, incurrit perpetuam inhabilitatem ad missæ celebrationem, ex decreto sanctæ universalis Inquisitionis de mandato Benedict. XIV,

debet. Vide edit. Veron. Opp. S. doctoris, tom. IX.